


05

A

1613





Q
L
I
M
Do
Su



DISPLITATIO MEDICA INAUGURALIS
De
SUPPRES-
SIONE MENSIIUM,

Quam
Mediatore Christo Prosperante,

Decreto & Autoritate

Amplissima Facultatis Medicae in Florentissima Leucorea

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo & Excellentissimo,

DN. MICHAELE SENNERTO,

Med. Doctore Experientissimo, Anatomes & Bo-
tanices Professore Publico Famigeratissimo, Ordinis sui h. t.

DECANO Spectabili,

Domino, Præceptore, Promotore ac Patrono suo magno, omni honoris
& observantiæ cultu æternum suscipiendo,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medicâ Honores & Privilegia DO-
CTORALIA solenniter & legitime impetrandi

publicè examinandam proponit

MICHAEL CLEOPHAS,

THORUNIO PRUSSUS.

In Auditorio Majori

d. II. Augusti

Horis pro- & pomeridianis.

VVITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken, M. DC. LXIV,

HOSPITALIO MEDICAE UNIVERSITATIS

De

SUPPLEMENTUM
ONNE MENSURAM

Mediatorum Chir. & Anatomicorum
D. Michaelis



DR. MICHAELIS
Med. Doctor

50 A 163

PRO FACULTATE
summus in arte Medica Honoris & Privilegia D. O.

MICHAELIS GLEOPHAS

THORUNIO TRUSSELS

In Aedibus

de Augusti

Typis Johannis Haasii

Vitruviana, Typis Johannis Haasii, M.D.C.LXXV.





Mediatore Christo Prospe- rante.



Hippocrates Medice Ar-
tis Antistes & Vates,
quem Galenus 4. de tu-
end. valetud. Cap. 5.
Oraculum vocat, rectis-
simè Lib. 1. de Morb.
Mul. No. 267. & seqq. Pe-
riculosa sunt, inquit, & plerūq; acuta & ma-
gna, & intellectu difficilia, eo quod mulieres
participant morbis, & aliquando neq; sciunt,
quod egrotant, priusquam morbos experian-
tur à mensibus, & seniores factæ fuerint, tunc
autem necessitas, & tempus ipsas morborum
causas docent; & quandoq; non cognoscentibus,
ex quo morbo egrotent, morbi incurabiles sunt,
antequam doceatur Medicus ab egrotante, ex


A 2

quo

quo morbo egrotet. Verentur enim narra-
re etiam si sciant, & præ imperitiâ & ignoran-
tiâ turpe sibi id esse putant. Sed & Medici si-
mul peccant, non exactè morbi causam percon-
tâtes, sed velut viriles morbos sanâtes. Et mul-
tas novijam ab hujusmodi affectionibus corre-
ptas. Quare statim causam interrogare oportet:
Multum enim differt muliebrium morbo-
rum, ac virilium curatio, &c. Ex quibus Di-
vini Senis verbis elucescit, foeminas esse mul-
tis & variis morbis diversisque à virorum af-
fectibus obnoxias, & hanc ob rationem et-
iam diversam medendi rationem requirere.
Præterquam enim quòd plerisque virorum
morbis subjiciantur, iisque, quoniam his de-
biliores ut & frigidiores sunt, neque etiam tã
facilè morborum impetus & insultus evitare
possunt, frequentius corripiantur; tamen
ratione mammaram & in primis ratione ute-
ri aliis iisque sævissimis divexantur morbis
& symptomatibus. Uterus itaque est iste fons,
è quo morbi *Lernæi* emanant, qui *Herculeâ*
clavâ, h. e. concinnâ remediorum methodo
sanantur.

sanandi & eradicandi. Uterus est sexcen-
tarum ærumnarum mulieri autor, sicut scri-
psit *Democritus* ad *Hippocratem*. vid. *Corbe-
us Gynec. Lib. 1. Cap. 1.* Inter tot verò & tan-
tas injurias, quibus fœcundus ille naturæ
hortus, Uterus expositus est, non infrequens
est Suppressio Mensium sexui sequiori pluri-
ma incommoda adferens, imò & ipsam mor-
tem, quemadmodum de *Phætusâ* & *Na-
mysiâ*, 6. *Epid. Sect. 8. sub finem* testatur *Hippo-
crates*. Sicut enim sanguis menstruus à mul-
tis sævisimis mulieres præservat ægritudini-
bus, si nullâ labe fœdatus quovis mense, sta-
tuto ordine & debitâ quantitate per uterum,
effluat: Ita è contrario, si vel in defectu, vel in
excesu peccet, perniciosissima introducit
symptomata, quæ, nisi *Herculeis* occurrant
medicamentis, ipsa mors presso pede sequi-
tur. Cùm itaq; Suppressio Mensium per-
niciosus & frequens affectus sit, non frustra-
neam me insumturum operam sperabo, si ge-
nuinam illius naturam loco Disputationis In-
auguralis tenui hac opellâ delineaturus pu-

blico & placido Eruditorum Examine verita-
tis inquirendæ ergò sifterem ac proponerē,
quam licet, *Galeno teste Lib. de Us. Respir.*
Cap. 1. non semper assequamur, omnino ta-
men propiùs, quàm nunc lumus, nos ad eam
perventuros spes est. DEUS Ter Optimus
Maximus, Archiater cœlestis conatus no-
stros divinâ suâ gratiâ clementer adjuvet in
sui divini nominis gloriâ & proximi salu-
tem.



THESIS I.

Quamvis nomenclatura neminem unquam serva-
rit, dicente *Foresto Lib. 10. Schol. Observ. 53* de nomi-
ne tamen prius erimus solliciti; hoc enim rectè cogni-
to faciliùs in rei perceptionem pervehimur secundum
Scalig. Exerc. 1. Sect. 1. monitum. Præmittemus itaque
reali definitioni nominalem, quæ involvit tria: Syno-
nymiam, Paronymiam & Homonymiam.

II.

Vocitatur hic affectus Inhibitio, Retentio & Re-
pressio Mensium vel Menstruorum. Ab aliis eorun-
dem seu Fluoris Menstrui Obstructio. A *Corbeo Loc. cit.*
salutatur Mensium Defectus. A *Joële Lib. 8. Practic. Sect.*
2. Cessatio Mensium. Græcis dicitur ἡ τῶν ἐμμηρίων
ἐπιέχουσα seu ἐπιέχουσα τῶν ἐμμηρίων & ἐπιέχουσα, quod est
repre-

reprimere, inhibere &c. Germ. Verschlagung oder
Verdrückung der Weiber oder der Monatlichen Kranck-
heit.

III.

Hujus sanguinis verò profluvium nominant Latini
Menses, Menstrua, quòd singulis mensibus mulieri-
bus conceptui aptis accidant, unde *Generosus Helmon-*
tius p. 582. non abs re Lunare vocat Tributum. Vulgo
dicunt, tempore novilunii juniores & in plenilunio
seniores purgari, quod etiã sequenti indigitant versu:

Luna vetus vetulas, juvenes nova Luna repurgat.
Verùm id experientia non semper respondet. Nun-
cupantur etiam Flores, quia monstrant fructui seu
foetui ferendo tempus aptum. Ut enim flores præce-
dunt fructum, sic sanguis menstruus generationem. In-
de natum proverbium apud Germanas mulieres usita-
tum: **Der Baum/der nicht blühet/kan keine Frucht tragen.**
Observatum tamen, quasdam concepisse & peperisse,
quibus menstrua nunquam fluxerunt. Sic scribit *Gvil.*
Fabricius Cent. 5. Obser. v. 41. de quadam matronã, quæ fi-
bi sanctè affirmavit, se nunquam fluxu menstruali la-
borasse tum durante virginitate, tum etiam in ipso
matrimonio, in quo septem liberos feliciter peperit.
In puerperio quoque lochia exigua habuit. Fuit et-
iam ab ipsa juventute semper robusta, valida, morbis-
que parum obnoxia. Et *Rondeletius Meth. Curand. Morb.*
Cap. 44. refert, mulierem quandam Montisbani nun-
quam menstrua passam fuisse, & tamenduo decies pe-
perisse. Et *Marcellus Donatus Hist. Med. Mirab. Lib. 4.*
Cap. 23. narrat, se novisse mulierem viraginem, quæ nũ-
quam purgationes menstruas habuit, & tamen bis pe-
perit, primò masculum, secundò fœmellam, ambos
opti-

optimè conformatos. *Bartholinus* etiam novit mulieres, quibus ante conceptionem nunquam comparuerunt menses, virginesque nuptas, quanquam menstruata nunquam fuerant, prole tamen familiam auxisse. *Cent. 4. Hist. An. 37.* Similiter *Clar. Sebizius Man, Med. Pr. Part. 5. Sect. 2. Cap. 1.* novit quandam mulierem in conjugio degentem, cui menses nunquam fluxerunt, quæ tamen peperit sæpius. Cum ex illa quæreretur, quo ex signo cognosceret, prægnantem se esse, respondebat, ex nullo alio, quam ex infantis motu, quem circiter mensem quartum, aut quintum perciperet. Vid. etiam *Celeberrimus noster Sennertus*, qui *Lib. 4. Med. Pract. Part. 2. Sect. 2. Cap. 1. Qu. 1.* plures hujus rei observationes ex *Guainerio Brassavolo, Trineavellio Jouberto* & aliis collegit. Menses etiam indigitantur Tempora, quod statis prodeant temporibus. Interdum *Malæ Septimanæ* vocantur, quia integrâ fere septimanâ mulieri molestiam creant. Durant indifferenter trium, quatuor, quinque, sex, septem, imò octo dierum curriculo, pro ratione cujusq; ætatis, temperamenti, regionis &c. Quibusdam enim fluunt continuè ac confestim, & sic fluxus paucis diebus absolvitur, alijs verò paulatim, ita ut fluxus interdum intermittat, atque pluribus diebus protrahatur. Ita virginibus exeunt menses subtiliores, vetulis & adultis crassiores, ut & melancholicis, biliosis contra tenuiores. Salutantur etiam *Virginalia*, *Muliebria Sacra*. *Evapocæ* ab *Hippocr. 5. Aphor. 28.* indigitantur, quod huic sexui competant. Nostrates muliereulæ honestis ac verecundis etiam vocabulis *die fröhliche Blume / Rose oder Zeit* nominant.

IV.

Coeterum dicunt nonnulli Medicorum, Menses etiam supprimi, quando sanguis, qui singulis mensibus evacuari debet, deest. Verum asserere suppressionem Mensium à sanguine deficiente provenire, est nimis improprie loqui. Quomodo enim sanguis, qui abest, potest supprimi? Non entis nullæ sunt passionēs. Sicut enim urinæ suppressio, quando nulla urina est in vesicâ, *Lotich. Consil. & Observ. Med. Lib. 4. Cap. 5. Observ. II.* improprie appellatur *ixæja Sennert. Lib. 3. Med. Pract. Part. 8. Sect. 2. Cap. 2.* Ita etiam est improprie dicta Mensium suppressio ob magnum sanguinis in corpore defectum, quem sæpe observarunt autores. Inter quos prodeat *Kergero qui Lib. de Ferment. Sect. 3. Cap. 3. p. 242. ex Argenterio* refert, in cujusdam febre extincti cadavere, ne guttam quidem sanguinis in venis fuisse repertam. Ita scribit *Adrian. Spigelius de febr. semitert. Lib. 1. Cap. 15.* in quodam febre extincto venas majores circa epas sanguine vacuas repertas fuisse. Et *ibid. Cap. 16.* venam cavam & arteriam magnam sic vacuum fuisse sanguine, ut non opus fuerit filo venam cavam & portæ truncum, dum exenteraretur, intercipere. Et *Dn. Sachs Medicus Famigeratissimus in responsoriâ Dissertatione Historico Medicâ de mirandâ Lapidum naturâ ad Clariss. Dn. D. Major. Fautorem & Amicum meum singulariter dilectum p. 105. 106. 107.* scribit, in *D. Dan Bucvetii Serevenis. Archiduc. Austria Caroli Archiatri & Physici Vratislaviensis Dignissimi* cadavere vasa (venam intelligit cavam & arteriam magnam) fuisse prope tota exsanguinea. Similiter *Dn. Christoph. Becker Freistad. Siles. in Disputat. suâ Inaugurali Lugduni Batavorum An. 1663. Mens. Majo habita thes. 5. ait, Nobiliss. Dn. D. Sylvium tra-*

B

ctase

stasse ægrum miris jam à longo tempore exagitatum, affectibus, mortuum tandem sectioni submisisse, sed vasa cuncta nullo sanguine, sed flatibus turgidula apparuisse.

V.

Fit autem Suppressio Mensium dupliciter, vel secundum, vel præter naturam. Illo modo retinentur menstrua ut plurimum & ordinariè in Virginibus usque ad decimum quartum ætatis annum, & in anibus post quinquagesimum deficiunt. Dicimus ut plurimum, nam & hic occurrit varietas. Ita puellæ menstruæ quadrimæ meminit *Tulpius Lib. 3. Observ. Cap. 36.* cui à quarto in octavum ætatis annum periodicè fluxerunt menstrua. *Hercules Saxonia* vidit *Venetis* puellam quintum agentem annum, quæ singulis mensibus modicè expurgabatur. Et *Ulricus Negelin* suscepit ex *Maria* uxore filiolarum *Annam* nomine, quæ statim atq; quintum ætatis annum exegit, menstruo fluxu, eoque ordinato laborare cœpit. Vid. *Schenckius Lib. 4. Observ. Medic. 244.* *Fernelius Lib. 6. Pathol. Cap. 16.* puellæ octavo ætatis anno menstrua fluxisse refert. *Th. Bartholinus* novit puellam *Hafniæ* annos novè natam, cœtera macilentam & colore pallido, cui menses fluere cœperunt. *Cent. 3. Hist. Anat. 91.* *Corbeus* vidit puellam habentem decimo ætatis anno menstrua. *Gynec. Lib. 1. Cap. 1. p. 4.* Et *Gvil. Fabr. Cent. 2. Observ. 60.* scribit, se nosse mercatoris & civis *Coloniensis Petri von Walde* hominis probi filiam, cui anno ætatis suæ undecimo menstrua fluere cœperunt, quæ quatuor aut quinque mensibus ordinatè fluxerunt. Postea verò his retentis in cachexiam incidit. *Timæus von Guldenslee Lib. 4. Cas. Med. 13.* meminit etiam virgunculæ cujusdam nobilis, cui menses unde.

undecimo erupere anno, ordinariè & menstruatim
deinceps fluentes; hæc duodecimo nupsit, eodemque
peperit, nunc plurium liberorum mater. Adeoq;
iis, quæ uterum habent calidum, maturè menses e-
rumpunt secundum mentem *Celeberr. Sennerti Lib. 4.*
Med. Pract. Part. 1. Sect. 2. Cap. 1. p. 39. Et sunt plerumque
salaces, ut *laudatus autor ejusdem Libri Part. 2. Sect. 2.*
Cap. 1. p. 131, ait.

VI.

Quemadmodum verò in virgunculis interdum
menses ante decimum quartum ætatis annum erum-
punt, (quamvis in quibusdam virginibus nimis tardè
profluant, & ad decimum octavum vel vicesimum æ-
tatis annum differantur) ita in anubus non semper post
quingagesimum deficiunt. Illustris in *Dania Ma-*
trona, ut refert *Cl. Bartholinus Cent. 3. Hist. Anat. 90.*
quingagesimo secundo ætatis anno, cum antea ordi-
natè substitissent fluxus, ter quaterve eosdem est passa.
Et Nobilissimæ ac piæ matronæ menstrua ad annum
usque septuagesimum octavum ordinariè profluxerunt,
teste *Gvil. Fabricio Cent. 2. Observ. 61.* *Horstius* etiam vi-
dit nobilem foeminam, quæ annum circiter septuage-
simum tertium agens, statis temporibus ordinario mē-
struorum fluxu laboravit, ut refert *Gvil. Fabricius Cēt.*
4. Hist. 6. Et *Clariss. Segerus in Epistolâ ad Celeberr. Bar-*
tholinum An. 1657. d. 14. Mart. Hamburgo perscriptâ ex
adversariis suis narrat, quod, cum *VVitebergæ* vive-
ret, die $\frac{2}{5}$ Septemb. Anni 1648. in hospitio ejus vetu-
la septuaginta duorum annorum, menstruarum pur-
gationum jam fere oblita, cum vitæ dispendio eas-
dem experiri coacta fuerit. vid. *Bartholinus Cent. 2. E-*
pist. Med. 86. p. 683. Ita Conjugi Consulis *Colbergensis* se-
ptem

ptem liberorum matri, menstrua usque ad septuagesimum sextum ætatis annum ordinatè fluxerunt, ut narrat *Timæus von Guldentlee Lib. 4. Cas. Med. 14.* Et *Reinerus Solenander Consil. Med. 41. 42. 43. Sect. 5.* refert, foeminae cuidam septuaginta, itè cuidã septuaginta sex, cuidã etiam, quod rarum centum & unius annorum menses cum ^{agn} ~~ing~~ ^{agno} sanitatis commodo fluxisse. Monstruosum verò est, quod *Hercules Saxonia Pract. Med. Lib. 4. Cap. 23.* habet, Monialè ad tertium & centesimum annum cum menstrua purgatione vixisse.

VII.

Gravidæ etiam plerumque secundum naturæ cursum menstruis carent, unde *Hippocrates Lib. 5 Aph. 60.* *Si mulieri utero gerenti, inquit, purgationes procedant, impossibile est fœtum esse sanum.* Interdum tamen per inferiores arteriæ hypogastricæ ramos à mulieribus nonnullis plethoricis, victum pleniorè assumentibus, & inde copiosum primis mensibus sanguinem generantibus, aliquid sanguinis excernitur, & quidem ex vasis, quæ utrinque in uteri cervicem inferuntur. Nisi etiam excernatur, vel venæsectione detrahatur, gravidæ sæpe abortum patiuntur. vid. *Sennertus Lib. 4. Med. Pract. Part. 2. Sect. 5. Cap. 3. Qu. 2.*

VIII.

Imò reperiuntur gravidæ, quibus toto gestationis tempore, stas etiam periodis sine valetudinis incommodo mensruus emanavit cruor. Ita *Cl. Dn. D. Horstius Lib. 1. Part. 2. Observ. 39. p. 74.* refert, uxorem, quoties utero habuit, toto gestationis tempore, copiosè & periodicè menses expertam esse, cum interim fœtus benè sanos, corpulentos & vivacissimos procrearet. Et *Celeberr. Bartholinus Cent. 3. Hist. Anat. 13.* narrat,

rat, mulierem juvenulam *Hafniensis* mercatoris uxorem, quoties utero gerit, ordinarios pati mensium fluxus adeo copiosos, ut lecto affixa imbecillitati suae consulat. Subsistit is stato tempore, nec à primo conceptionis mense ad ultimum stas vices intermittit. Fœtus nihil inde mali patiuntur, quos masculos & robustos feliciter solet eniti.

IX.

Lactantibus etiam secundum naturam menses plerumque deficiunt, quia iste chylus, qui in sanguinẽ quovis mense excernendum mutari debebat, beneficio mammaram pro nutrimento infantis in lucem editi in lac transmutatur, hinc menstrua naturaliter deficiunt. Compertum tamen est, quibusdam nutricibus etiam menses sine valetudinis dispendio ordinate fluxisse, quod procul dubio accidit, quia ex pleniore victu chylus copiosior, ex hoc sanguis copiosus generatur. Vid. *Schenckius Lib. 4. Observ. Med. 249.*

X.

Fœminæ quoque masculoso habitu præditæ virgines dictæ, saltatrices, item laboribus ruris deditæ ob naturæ robur, valida exercitia nativamque partium corporis caliditatem etiã hanc suppressionem inculpatè incurrunt, quia sanguis, qui per uterum evacuari debebat, labore, sudore, calore & transpiratione per corporis habitum resolvitur & dissipatur.

XI.

Pingves quoque & macilentæ aut graciles mulieres sæpe menstrua carent purgatione, quia in illis sanguis superfluus in pinguedinem convertitur: Hæ verò ob diuturnum aliquem morbum aut evacuationes per

sanguinis missionem & purgationem institutas extenuata nihil superflui sanguinis continent.

XII.

Quando etiam ex aliqua corporis parte, ut naribus, epate, vasis hæmorrhoidalibus &c. sanguinis profusio & quidem larga præcessit, tunc natura, quæ sui conservatrix, sanguinem pro partibus nutriendis tanquam mater benignissima reservat, atque hoc pacto utero pro excretionem nihil sanguinis transmittit.

XIII.

Si verò natura in mensium per uterum excretionem impedita fuerit, quærit alias vias, per quas, & quidem cum foeminarum commodo, sanguinem menstrualem evacuat. Hinc Menses per mammas apud *Sennertum Inst. Med. Lib. 3. Part. 3. Sect. 1. Cap. 11. p. 339. Amatum Lusitanum Cent. 2. Cur. 21. & Cent. 7. Cur. 48. Paræum Lib. 23. Cap. 52.* per oculos, apud *Dodonaum Observ. Med. Cap. 15. p. 27. Mercatum Lib. 1. de Com. Mul. Affect. Cap. 7. Bartholinum Cent. 1. Hist. Anat. 16.* per ventriculum, apud *Langium Lib. 1. Epist. Medic. 40. Benivenium Cap. 41 de Abdit. Sanat. & Morb. Caus. Gvil. Fabricium Cent. 3. Observ. 12. Horstium Lib. 1. Part. 2. de Morb. Mul. Observ. 33. Bartholinum Cent. 5. Hist. Anat. 32. Timæum von Guldentlee Lib. 4. Cas. Medic. 12.* Unde Hippocrates 5. Aphor. 32. *Mulieri, inquit, sanguinem exomenti mensuris erumpentibus solutio fit.* Per nares, apud *Amatum Lusitanum Cent. 2. Cur. 17. Gvil. Fabricium loc. cit. Paræum Lib. 23. Cap. 52.* Per minimum digitum & per annularem apud *Mercatum de Com. Mul. Affect. Lib. 1. Cap. 7.* Per pedes apud *Bartholinum Cent. 1. Hist. 10.* Per aures apud *Schenckium Lib. 4. Observ. med. 257.* Per umbilicum apud *Zacutum Lusitanum Pr. Med. Adm. Lib. 2. Ob-*

2. *Observ.* 101. *Marcellum Donatum de Histor. Med. Mirab.*
Lib. 4. Cap. 26. Sennertum Lib. 3. Med. Pr. Part. 2. Sect. 2.
Cap. 11. Per inguina apud Zacutum Lusitanum Pr. Med.
Adm. Lib. 2. Observ. 102. Per vasa hæmorrhoidalia apud
Horstium Lib. 1. Part. 2. de Morb. Mul. Observ. 43. Paræum
Lib. 23. Cap. 52. Schenckijū Lib. 4. Observ. Med. 164. Per inte-
stina apud Horstium de Morb. Mul. Lib. 1. Part. 2. appendic.
ad Observ. 2. Per vesicam urinariam apud Sennertum
Lib. 4. Med. Pr. Sect. 2. Part. 2. Cap. 11. Salmuth. Cent. 3. Ob-
serv. 36. aut alias partes excretos fuisse legimus.

XIV.

Hasce ergo jã recensitas, ut et reliqvas suppressiones
Mensium a nostrã *Andromache* removemus, cùm illis
carere tum naturale sit, et solùm de suppressione Men-
sium morbosã seu præternaturali, a qua graves morbi,
graviaq; symptomata proveniunt, impræsentiarum a-
cturi sumus.

XV.

Describimus verò Suppressionem Mensium, quod sit
abolita sangvinis menstrui præter naturam excretio,
orta à frustratione Facultatis Expultricis uteri, varios
morbos ac symptomata excitans.

XVI.

Quando abolitã excretionem sangvinis menstrui
vocamus, statim luce meridianã clariùs est, hunc affectũ
esse symptoma actionis abolitæ ipsius nimirum uteri,
cujus officium est, sangvinem quovis mense excernere:
Jam verò ista actio seu excretio menstruorum est abo-
lita, quia plane cessat. Pertinet etiam hic affectus ad
symptomata eorum, quæ immodicè retinentur; nam
sanguis, qui singulis mensibus e corpore excerni debe-
bat, in eo præter naturam retinetur. vid. *Galenus Medi-*

6071173

XVII.

Abolita præter Naturam dū dicitur, statim innuitur, non quamlibet suppressionem Mensium esse morbosā: In virgunculis enim infra decimum quartum annum & vetulis supra quinquagesimum ætatis annum constitutis, gravidis in mediis & ultimis mensibus, lactantibus etc. Suppressio menstruorū non est præternaturalis, sed naturalis, rectiusq; defectus vocatur.

XVIII.

Subjectum & quidem primarium est uterus cum suis venis & arteriis hypogastricis, potissimū illis quæ ad cervicem protenduntur. Juxta sanguinis circulationem quidem venæ essent ab hoc officio removendæ. Sed existimamus, salvâ circulationis lege, etiam venas, quæ osculis arteriarum conjunguntur, hūc menstrualem effundere humorem. Quia verò in suppressione Mensium varia symptomata, prout ad hanc vel illam partem sanguis retentus ruit, oriuntur, hinc cor, epar, lien, ventriculus & reliquæ in corpore partes sunt hujus affectūs subjectum secundarium. Quemadmodum in febribus dicimus cor primariò laborare, secundariò verò reliqua membra, quibus calor febrilis ex corde per arterias communicatur.

XIX.

Quia verò nullius rei juxta *Admirandi Sennerti* sancita *Instit. Med. 2. Part. 2. Cap. 1. p. 206.* potest haberi cognitio sine causarum notitiâ, neque morbi, nisi causæ caveantur, vitari possunt; hinc ad causas explicandas Medico in oppugnandis morbis & symptomatibus summè necessarias accingimur.

XX.

Est itaque causa suppressionis Mensium vel im
media-

mediata, vel mediata. Mediatae rursus vel sunt proximiores, vel remotiores. Remotiores tandem desumuntur ex classe rerum naturalium, non naturalium & praeternaturalium.

XXI.

Causa proxima & immediata, inter quam & effectum nihil intercedit, est frustratio Facultatis Expultricis uteri, quatenus ea officio suo, sanguinem nimirum menstrualementem evacuando, fungi non potest. Mediatas & quidem proximiores referimus ad uteri, vasorum & sanguinis vitium.

XXII.

Menses deficiunt ratione uteri, si is vel ab ipso ortu desit, prout refert *Columbus de Re Anat. Lib. 15.* quod foemina quaedam fuerit, cuius vulva ab aliarum foeminarum vulvis nihil peculiare & diversum habebat, matrix tamen nulla aderat in abdomine, neque vasa seminaria, neque testes; vel post ortum ob gangranam, procidentiam &c. foeminis nihilominus superstitionibus, excindatur, ut *Sennertus, Meritissimus in Medicinâ totius Germaniae Praeceptor ex Aëtio, P. Agneta, Nicolao Florentino, Gattinaria, Langio, Benivenio, Francisco Roussetto & aliis refert Lib. 4. Med. Praet. Part. 1. Sect. 2. Cap. 9.*

XXIII.

Idem evenit, si ab ortu vitio conformationis genitalia muliebria clausa sint, sicut annotarunt *Benivenius de Abdit. Sanat. & Morb. Caus. Cap. 28. Hier. Fabricius ab Aquap. de Oper. Chirurg. p. m. 94. Bartholomaeus Cabrolus Observ. Anat. 23.* ubi foeminae hoc affectae morbo clausae, imperforatae, velatae, quia uterus est quasi velo obductus, nominantur.

C

XXIV. In-

XXIV.

Interdum verò ab ulcere, vulnere, partu difficili &c. rima clauditur. Sic narrat *Benivenius de Abdit. Sanat. & Morb. Caus. Cap. 31.* Se vidisse mulierem, cui morbus Gallicus totam vulvam eroderat, & incuriâ Medici, quicquid erosum fuerat, oris invicem conjunctis occalluerat. Et in *Epistolis Medicis Cl. Horstii Sect. 19.* legimus, foeminam quandam lignum aliquod in manu habentem ex improvise impegisse in pudenda, & ita istum transitum ad uterum & vesicam vulnerasse. Datâ igitur & huic potionem vulnerariâ, aliisque convenientibus medicamentis vulnere appositis, paulatim ab iis vulnus coaluisse, & simul etiam meatum pudendi & urinæ paulatim totum clausum fuisse, ita ut nihil quasi illic ratione pudendi apertum apparuerit, loco isto admodum sicco, urinâ nullâ ibi permeante. *Felicissimus Platerus* etiam refert *Lib. 2. Practic. Cap. 17.* mulieri cuidam ex partus difficultate hac parte læsâ accidisse, & cum curam illius, pudore impedita, naturæ committeret, luxuriante carne, os illud cervicis uteri adeo occalluisse, ut ne menstruis quidem pateret effluxus. Aliquando in lue venereâ laborantibus fungosa & luxurians caro excrescit, ut meatum hunc planè claudat. De carneâ in utero excrescentiâ, quæ viam plane occlusit, potest etiam evolvi *Bartholinus Cent. 1. Hist. Anat. 94.*

XXV.

Huc etiam conferunt scirrhi. Ita refert *Gvil. Fabricius Cent. 1. Observ. 67.* quandam foeminam totas sex dies parturientem tandem mortuam esse, corpore verò post mortem aperto uterum laceratum & caput infantuli in ventris capacitatem immissum inventum fuisse;

isse; partus verò difficultatis causam fuisse scirrhum
in utero, qui magnitudinem capitis infantuli prope-
modum adæqvabat. Et *Cent. 3. Observ. 57.* tradit, in foe-
minâ quâdam è partu mortuâ uterum in scirrhum, qui
magnitudinem capitis infantis ferè æqvabat, concretū
atq; induratum fuisse. Vid. & *Bartholinus Cent. 1. E.*
pist. 62. p. 255.

XXVI.

Occluditur præterea uterus à sinistro medicamē-
torum adstringentium usu, quibus interdum foeminæ
gratiam apud maritos promereri, defloratæq; virginita-
tem reparare satagunt. Ita narrat *Philippus Hechstet-*
erus Rar. Observ. Med. Dec. 3. Cas. 5. in schol. ancillam
quandâ sponsam, procul dubio ut sponso virgo, quæ nõ
erat, appareret, balneo, in quo radices cõsolidæ majoris
decoctæ erant, usâ esse, in quod, cum hera in scia in sedis-
set, ei ita orificium pudendi coarctatum fuit, ut ma-
ritus uxorem claustrum virginale recepisse miraretur.

XXVII.

Porro uterus est in causa, si vasis sanguinẽ ad se feren-
tibus careat, vel ea malè conformata, aliò conversa aut
contorta habeat, ita ut sanguis per ea excerni non pos-
sit.

XXVIII

Nec est extra culpã uterus, quando est densior et
durior, quã naturæ ejus convenit. Hoc vitium interdum
a primo ortu est, unde autore *Galeno 3. de Sympt. Caus.*
Cap. 4. & 5. Aph. 28. perpetua conflare potest mensium
suppressio, nisi diuturno remediorum usu uterus ad
meliorem reducatur habitum. Post ortum verò intem-
peries frigida & sicca, calida & sicca substantiam uteri
duriozem reddere possunt. Admirandum est, quod

Schenckio ex relatione *Petri Qventii* refert, in dissectione
ne cujusdam mulieris 37. annorum uterum totum lapi-
deum inventum esse, ponderis 7. librarum. *Sennerto* Lib.
4. *Med. Pract. Part. 1. Sect. 2. Cap. 14 p. 85.*

XXIX.

Menses nonnunquam occultantur, quando ute-
rus est intemperatus in caliditate, cujus causa partes hu-
morum subtiles & tenues dissipantur & absumuntur,
relictis crassioribus ac terrenis. Aut sanguis in eo adu-
ritur, & postea scirrhum aut cancerum parit: Vel in sic-
citate, propter quam vasa uterina contrahuntur: Vel
in frigiditate, cujus ope ora vasorum densantur, & in-
eptitudo sanguini ad motum conciliatur.

XXX.

Ex parte vasorum causa est eorum angustia. Verum
cum e *Galeno de Caus. Morb. Cap. 7.* constet, causas an-
gustiae vasorum esse quinque: 1. Obstructionem. 2. Con-
stipationem. 3. Coalescentiam. 4. Compressionem &

Subsidentiam, etiam ex iis causae angustiae vasorum
uteri petendae sunt.

XXXI.

Prima hujus angustiae & quidem frequentissima causa
est Obstructio a sanguine frigido & crasso, grumoso, post
partum & purgationes solitas remanente, vel ab hu-
moribus crassis & viscidis sanguini admistis; vel a cal-
culis. Si enim in aliis vasis, ut in cordis arteriis, venae
portae, venis haemorrhoidalibus calculi sunt reperti, ut
Magnus Sennertus Instit. Med. Lib. 2. Part. 2. Cap. 9. ex
autoribus fide dignis recenset, quis negabit eos in uteri
vasis interdum contineri? Vel a vermibus, quos in o-
mnibus ferè corporis nostri partibus inventos esse docet
historia a *Marcello Donato Histor. Mirab. Med. Lib. 4.*
Cap.

Cap. 25. collecta. 2. Fit angustia a Constipatione, dum
uteri corpus densius, durius ac siccius redditur. vid. *Thes.*
28.3. Angustia fit a Coalescentiâ, quam inducunt cicatri-
ces post ulcera relictæ, caro vel membrana vasis uteri
obnata, item frequens abortus, post quem vasa illa, quibus
secundinæ adhærent, ita coalescunt, ut postea aperiri
nequeant. 4. Fit angustia a Compressione, quæ induci-
tur a scirrho, inflammatione aliâque tumore partium
vicinarum, ut intestini recti, vesicæ urinariæ, vel ipsius
uteri; vel ventris distensione, ut in hydropicis; vel ab
omento nimis aucto, quare apud *Hippocr.* 5. *Aphor.* 46.
crassæ non concipiunt. 5. Angustia fit a Subsidentiâ, quâ-
do vasa connivent, & quasi subsident, fiuntque adeo ex-
ilia atque angusta, ut sanguinem effluere non sinant.

XXXII.

Sanguis in culpâ est, quatenus peccat vel quâtitate, vel
qualitate, vel motu. Quantitatem quod concernit, ea
duplex est in defectu & excessu. Fluxus menstrualis de-
ficit ob defectum sanguinis, quando is vel non genera-
tur in debitâ copiâ ob cibi & potûs paucitatem, vel ob
frigidam cordis, epatis, ventriculi etc. intemperiem,
aut alios morbos, ut obstructions, scirrhos v. g. jeco-
ris, lienis, ventriculi &c. qui affecto sanguinis genera-
tionem prohibent. Vel dissipatur & absumitur ob tēpe-
raturam corporis calidiorem & sicciorem, unde viragi-
nes quædam, ut et saltatrices menstruorum fluxu de-
stituuntur, vel ob febrem hæcticam, ardentem aliosque
morbos calidos & siccos, vel ob purgationes, vomitus,
sudores, sanguinis in venæsectione, per nares, hæmor-
rhoides &c. evacuationem. Vel in alios usus conver-
titur, dum abit in partium nutrimentum & incrementum,
atque in pingvibus & obesis superfluis in pinguedinem

mutatur. Excessus sanguinis etiam ad suppressionem Mensium facit secundum *Riverium*, qui *Prax. Med. Lib. 9. Cap. 2.* dicit sanguinis copiâ ita distendi uteri vasa, ut minimè comprimì possint.

XXXIII.

Qualitate peccat sanguis vel manifestâ, vel occultâ. Manifestâ, quando est frigidus, nimis crassus & viscidus, aut quando sanguini laudabili illaudabiles & excrementitii humores, nimirum pituitosi vel melancholici permiscuntur, qui vasa uteri, quando ad ea cum sanguine deferuntur, obstruunt. Atq; hæc est frequentissima menstruorum suppressorû causa. Fit etiam ob arenæ admisionem sanguis crassus, cuius meminit *Cent. 1. Hist. Anat. 34. Celeberrimo Bartholingo. Illustris quidam Vir, inquit laudatus Autor, Regius in Selandia Præfectus, calculo & Arthritide, domesticis hospitibus, sæpe obnoxius, subinde in largissimum sudorem solvitur, quo non serum exsudat, aut sicuti per poros liquores, sed, quod mireris, manipuli arenularum, quas inducâ manu abstergit. Quotidianum id nobili Viro, & à Medicis saluti illius excubantibus visum per sæpe, testis mihi est fide dignissimus D. Olaus Wormius. Sic Dn. I. D. Horstius in *Manud. ad Med. p. m. 135. 177.* in scorbuticis sudorem nonnunquam arenosum esse notat, refertque *ibidem p. m. 191.* se similem vidisse in Illustrissimâ Matronâ quadam, cuius sæpè mammarum & manuum cutis ita arenulis obducta fuerit, ut digitorum apprehendentium vestigia relinqueret.*

XXXIV.

Occultâ qualitate peccat sanguis, quando morâ & cunctatione in utero, in quo interdum humores excrementitii stabulantur & ipsi admiscuntur (quos natura de hominis salute sollicita per hanc viam unâ operâ expellere

pellere solet) putrescit, corrumpitur, foetet & malignā aliunde contrahit labem, sicut in *Horstii Epist. Med. Lib. 2. Sect. 10. p. 505.* legimus de quadam juvenulā in matrimonio vivente, quæ tempore menstruationis ferè pejus cloacis olebat. Ita optima interdum abeunt in pessima. Unde alimenta, quò sunt meliora, eò, si corrumpantur, sæpe fiunt deteriora. In febribus malignis etiam sanguis corruptus & concretus instar medullæ sambucinae deprehenditur, quod testatur *Riolanus Enchirid. Anat. Lib. 2. Cap. 27. p. 142. 143.* Cui ad stipulatur *S. Pauli, qui de Febr. Malign. & Petech. p. 98. 99.* sanctè affirmat, se sæpenumero, similem ex venis malignè febricitantium collegisse. Hinc foemina febre malignā correpta ob corruptum & concretum sanguinem Menses patitur suppressos.

XXXV.

Motu peccat sanguis, quando non ad uterum, sed ad alias partes se confert. Nam probè notum ex Autoribus, Menses per oculos, aures, nares, asperam arteriam, œsophagum, urinæ ductus, vasa hæmorrhoidalia, mammās, umbilicum, digitos etc. erupisse, vid. *Thef. 13.*

XXXVI.

Inter remotiores causas, ex numero rerum naturalium est temperamentum frigidum & humidum seu phlegmaticum, & temperamentum frigidum & siccum seu melancholicum, unde scorbuticæ sæpe suppressione Mensium laborant.

XXXVII.

Inter sex vulgo sic dictas Res non naturales occurrit i. Aer & quidem frigidus, qui poros claudit, vasa constringit & humores incrassat. Siccus, qui corpora exsiccat. Crassus & turbidus, qui sanguinem ineptū ad motum & corpus impurum reddit. Huc pertinet regio

regio

regio calida & sicca, quæ sanguinem dissipat & exhaurit, item autumnalis aeris constitutio seu frigida & sicca, quæ vasa occludit & constringit. Huc quoque refertur pedum refrigeratio, quando lotrices linteis lavandis occupatæ in fluminibus nimis diu morantur instantibus imprimis Mensibus. Incessus etiam nudis pedibus aere frigido existente consuetam menstruam purgationem interdum supprimit.

XXXVIII.

2. Cibus & potus, ubi neq; in excessu, neque in defectu error committi debet. Quando enim nimia cibi & potus copia ventriculus obruitur, tunc cibos nequit rectè complecti, qui ventriculi calore sensim per orificium superius exhalante, non probè coquuntur, unde cruditates proveniunt. Quia verò vitia coctionis primæ non corriguntur in secundâ, hinc ex crasso chylo crassus generatur sanguis plurimarum obstructionum fons & origo. Quemadmodum verò nimia cibi & potus copia obstructiones aliosq; morbos excitat; ita alimenta in paucâ quantitate assumpta hunc inducunt affectum; Justò enim pauciora non efficiunt istam redundantiam sanguinis, quæ menstruatim expurganda est.

XXXIX.

Imprimis verò huc faciunt cibi multum terrei, crassi & visceri succi in se continentes, ut caro aprugna, cervina, leporina, caro fumo indurata aut nimium salita, angvilla, tinca, sturio, carpio, cochleæ, asellus arefactus, lac, caseus vetus, panis furfuraceus, oryza, lentes, brassica muriâ condita &c. Alimenta etiam nimis calida & sicca, vel sale, pipere, Zingibere aliisque aromatibus nimium condita hanc sistunt purgationem, quia

quia vasa exsiccata contrahuntur & portio sanguinis tenuis, relictâ crassiori, absumitur & dissipatur. Adstringentia denique, acida, austera & acerba ductus coarctant & humores increasant.

XL.

Ex potu & quidem aquæ frigidæ, præcipuè tempore menstrui fluxûs sumto, facillè hoc vitium contrahitur. Ita refert *Galenus*, suâ tēpestate mulieres quasdam Romanas, cū frigidissimâ ex nive potarēt, nullo pacto purgatas, aut diminutè purgatas fuisse. vid. *Senn. Lib. 4. Med. Pract. Part. 2. Sect. 2. Cap. 3.* Abstinentiâ etiâ a cerevisiâ nō benè defecatâ, ut & triticeâ, itē musto propter obstructions. Neq; vina nigra, rubra, dulcia, austera, acerba & acida sunt sine culpâ. huc pertinet medicamēta adstringentia & nimis exsiccantia, vel intrinsecus assumpta, vel extrinsecus adhibita & applicata.

XLI.

3. Somnus & Vigiliæ. Si enim Somnus sit immoderatus, pituitosi cumulantur humores, qui corpus torpidum & languidum reddunt, unde omnes actiones seigniores fieri necesse est, & quia excrementitia effluvia non discutiantur, sed in corpore detinentur, hinc facillè alicujus vasis sequitur obstructio. Vigiliæ verò nimix corporis vires labefactant, humores consumunt, coctionem impediunt, cruditates producunt, & huic morbo ansâ præbent. Ita *Zacutus Lusitanus Prax. Hist. Lib. 3. Cap. 10.* scribit, *Albertū Magnū* vidisse Virgines, quæ, cūm vigiliis sese macerarent, non purgabantur.

XLII.

4. Motus & Quies. Motus nimirum nimius coctionem impedit, spiritus exhaurit ac sanguinem dissipat. Quies verò nimia corpus excrementis, quæ non

D

discus

discutiuntur, replet, calorem nativum hebetat & obtundit, sanguinem incrassat, vasaq; occludit.

XLIII.

5. Excreta & Retenta. Inter illa est evacuatio nimia sanguinis per nares, anum, uterum post difficilem partum, aut per alias partes vel etiam venæsectione, scarificatione &c. instituta. Item vomitus continuus, purgatio nimia, nimius urinæ fluxus, sudor copiosus. Item diarrhœa, dysenteria, imprimis cœliaca & lenteria. Quando verò excrementa, quæ evacuari debent, retinentur, calor suffocatur & sanguis incrassatur, cujus crassitiem vasorum occlusio sequitur.

XLIV.

6. Animi Pathemata, ut tristitia, curæ, quæ humiditatem exsiccant, corpus refrigerant, viasque adstringunt. Sic *Phaëtusa Pythæi* conjux, referente *Hippocrate 6. Epid. Sect. 8. T. 55.* ante quidem per juventutem fecunda, viro autem in exilium pulso mœrore confecta, menstruum multo tempore passa fuit deliquium. Hinc viduæ & aliæ mulierculæ ob tot continuos mœrores patiuntur Mensium suppressionem. Item timor & pavor, ubi sanguis deserit uterum, & subito ad cor revocatur. *Hier. Mercurialis* vidit & curavit mulierem, cui ex ipso timore suppressi erant Menses. *Lib. 4. de Morb. Mulier. p. 129.*

XLV.

Inter Res præternaturales recensemus morbos chronicos & calidos, ut: Cachexiam, hydropem, quartanam, scorbutum, phthisin, cavsum, febrem hecticam &c. In illis enim crassus & feculentus generatur sanguis aptus ad obstructionem; in his verò nil superflui est

est sanguinis. His annumerari possunt scabies, pustularū
omne genus, ulcera, &c. quæ sanguinē quoq; revellūt.

XLVI.

Differentias quod spectat, suppressio Mensiū alia est
contumax, alia mitior, alia recens, alia inveterata,
alia fit utero per essentiam, eaque frequentissima, a-
lia per consensum affecto, alia per se incipit, alia mor-
bis succedit, alia à vasorum obstructione, alia ab eorū-
dem compressione, coalescentiâ &c. Sed missis differē-
tiis, facimus ad signa transitum.

XLVII.

Sunt autem ea duplicia, vel Diagnostica, vel Pro-
gnostica. Illa affectū ipsum ejusq; causas nobis demon-
strant, quibus annumeramus distinctiva, quæ præsentē
affectum a cognatis discernunt; per hæc futura, quæ ac-
cident ægro, cognoscimus.

XLVIII.

Signa foeminae ipsius ut et adstantium relatio sup-
peditat; si autem propter pudorem fateri nolint, in
promptu adsunt signa, quibus idem affectus cognoscitur,
& quidem nunc plura, nunc pauciora, prout suppressio
Mensium vel recens, vel inveterata est.

XLIX.

Ut plurimum autem adest lassitudo totius corpo-
ris & insolita gravitas a copioso sanguine per univer-
sum corporis habitum recurrente, & partes ad motum
ineptas reddente. Imprimis verò hæc lassitudo coxas
& crura detinet. Dolor lūborū & dorsi, quatenus vena
cava a copioso sanguine supra modū repleta distēditur.
Dolor colli ab acriore sanguinis parte in superiores par-
tes cōvolāte & partes sensiles afficiēte. Dolor occipitis,
syncipitis interdū usq; ad radices oculorū diffusq; ab acri

sanguine membranas cerebri vellicāte, ut & a copioso vasa meningū distendēte. Color faciei pallidus a pituitoso humore ob cachexiam in corpore collecto. Difficilis respiratio a vaporibus ex utero adscēdentibus & diaphragma comprimētib; . Cibi fastidium, nausea & vomitus ab humoribus ex utero regurgitantibus, ventriculūque gravantibus & ad excretionem stimulantibus. Tumor pedum ab humoribus ob gravitatem descendētib; . Febris alba (aliās virginea seu amatoria dicta) ab humorum crudorum copiā & denegatā fuliginū transpiratione. Macies corporis partim propter sanguinem impurū & ineptum ad nutritionem; partim propter obstructas minimeq; patentes vias, per quas ad partes nutriendas nequit transire.

L.

Præter hæc in *precedenti thesi* enarrata symptomata dantur adhuc alia, ut syncope, palpitatio cordis, ructus, suppressio alvi, urinæ &c. In nonnullis etiam, quibus menstrua diu substiterunt, corpus universum fit hirsutum, barbaq; enascitur & vox aspera redditur, sicut *Hippocrates de Phaëtusa Pithæi cōjuge 6. Epid. Sect. 8. T. 55.* refert. Non tamen opus est omnia adesse, sufficit, si quædam præsto sint, quibus ægra conflictatur & affectus dignoscitur. Plerumq; autem circa tempus instantium menstruorum exacerbantur symptomata, quia tunc humores agitantur quidem, sed non evacuantur. Quod tamen tertio mense, ut inquit *Primerosius Lib. 1. de Morb. Mul. Cap. 2.* potissimum accidit, nam per duos a suppressione menses læviùs adhuc agrotant, tertio autem quartove mense gravissimam percipiunt offensionem & damnis augentur.

LI.

Quoniam autem multa signa utero gerentibus & suppressi-

suppressione Mensium laborantibus sunt communia; imò mulierculæ interdum ex illicito cōcubitu gravidæ, seq; pro virginibus venditantes gravitatem negare & Mensium retentionem tantum accusare solent; Medicus cautus esse & diligenter ab ingravidatione dignoscere suppressionem debet. Possunt verò sequenti modo a se invicem discerni. 1. Quia prægnantes plerumq; vividum corporis colorem, qualis tempore sanitatis fuit, retinent, aut saltem parum immutant; foeminae verò suppressione Mensium laborantes pallidæ sunt, foedoq; faciei colore præditæ. 2. Quia illæ agiles & hilares sunt; hæ verò plerumq; tristes. 3. Aucto foetu symptomata indies mitescunt, donec omnino cessarint; contra in suppressis mensibus magis quotidie perseverante affectu augentur. 4. In gravidis quarto mense motus infantis sese prodit; in retentis verò mensibus est tumor quidam œdematosus, durus nec utero semper respondens deprehenditur. 5. Quia iis, quæ prægnantes non sunt, aut os uteri non occluditur, aut cū quadam duritie occlusio fit, de quo Hippocrates s. Aph. 54. *Quibus os uteri durum est, iis comprimi est necessarium.* In gravidis verò os uteri clauditur, & quidem arctè. *Quæ utero gerunt,* inquit Hippocrates Aph. 51. *eiusdem libri, iis os uteri comprimitur.* Fieri tamen potest, ut Medicus etiam in hisce deceptiatur, quod sibi accidisse in propria uxore narrat Avēzoar. vid. *Primerosius de Morb. Mul. Cap. 2. Lib. 1. § 4.*

LII.

Nec; Medicum latere debet, an uterus in suppressione Mensium per essentiam, an per consensum afficiatur. Essentialiter affectum uterum intemperies, febris, inflammatio; per consensum, ventriculi, jecoris, lienis, mesenterii &c. affectiones prægressæ ostendunt.

LIII.

Signa causarum etiam merentur indagari, & quidē humores pituitosos patefaciūt diæta præmissa frigida & humida, color corporis albicans vel plumbeus, torpor, frigiditas, mollities & intumescencia, somnus profundus, cibi fastidium, sitis pauca aut nulla, veneris inappetentia, delectatio nulla.

LIV.

Melancholicum redundantem humorem detegūt cibi assumpti multum terrestris & feculenti succi in se continentes, ut carnes duræ, præsertim salitæ vel fumo induratæ, lentes &c. somnus turbulentus cum insomniis horrendis & terribilibus, corpus macilentū & glabrum, color subniger, sudor in somno copiosus.

LV.

Sanguinis inopiam manifestant inedia præcedens, corporis extenuatio, color lividus & pallidus, vigiliæ, immodici labores, febres ardentes vel aliæ ægritudines.

LVI.

Si malum provenit a vasorum obstructione, ad sunt humores crassi, viscidi & tartarei, adest sensus gravitatis circa uterum ex retentorum humorum copiâ. Dolores erunt in lumbis & partibus utero vicinis, præsertim instante purgatione mēstruâ. Et si quid tum effluat, subalbidum aut subnigricans apparet, quod linteolis exceptum humoris dominatum ostendit. Si a compressione, adest uteri aut vicinarum partium tumor, vel utero suo excedit loco. Si a coalescentiâ, præcesserunt uteri vulnera, ulcera, difficilis partus. Aliæ causæ, ut membrana, carnosâ substantia, cicatrix oculari inspectione aut fidâ obstetricis prudentis relatione deprehendūtur.

LVII.

LVII.

Uterus si calidâ & siccâ laboret intemperie, id cognoscitur ex maturâ ad venerem promptitudine & celeri partium genitalium hispiditate. Frigida & humida a contrariis. Si etiam externæ quædam præcesserint causæ, & ansam huic malo præbuerint, ut usus adstringentium, pravorūq; ciborū, potus frigidæ aquæ, lotio in aquâ frigidâ, frigidus aer admissus &c. eæ possūt ab ægrâ cognosci.

LVIII.

Quantum ad Prognosin generalem dicimus suppressionem Mensium ratione speciei esse noxiam, quia foeminae, quæ non purgantur, rarò concipiunt. Quasdam tamen, quibus genitalis sulcus menstruo flore nō dum tinctus, concepisse experientia testatur, & nos in *thes. 3.* aliquot exēpla, quæ rara & insveta sunt, adduxim⁹.

LIX.

Ratione individui non quidem absolutè est letalis, est tamen semper periculosa propter varios & gravissimos morbos, qui inde oriuntur. Quod confirmamus verbis Hippocratis, qui *s. Aphor. 57. Menstruis abundantibus, inquit, morbi eveniunt, & subsistentibus accidunt ab utero morbi.* Oriuntur autem partim in ipso utero, partim extra uterū in aliis partibus, ad quas sanguis regurgitat, partim in toto corpore.

LX.

In utero oriuntur inflammatio *Guil. Fabricius Cēt. 2. Observ. 62.* Ulcus *eiusd. Cēt. Observ. 63.* Gangræna *idē Fabricius Observ. 64. Cēt. eiusd.* Suffocatio *Lotichius Lib. 5. Consil. & Observ. Medic. Cap. 1. Observ. 10. Forestus Lib. 28. Observ. 34.* item scirrhus, cancer &c. In aliis partibus oriuntur paralysis *Hercules Saxon. Prax. Medic. Lib. 1. Cap. 10.* Epilepsia *Lotichius Lib. 5. Consil. & Observ.*

Observ. Med. Cap. 1. Obs. 3. Horstio de Morb. Mul. Lib. 1. Part. 2. Observ. Medicin. 33. Melancholia Mercurialis Tom. 1. Consult. Medic. 64. Forestus Lib. 10. Observ. 24. Obmutescencia Salmuth Cent. 3. Observ. Med. 28. Pleuritis Timaeus von Guldentlee Lib. 2. Cas. Medicin. 7. Sputum sanguinis & Exulceratio pulmonis Salmuth Cent. 2. Observ. Med. 18. Cachexia Horstius de Morb. Mul. Lib. 1. Part. 2. append. ad Observ. 2. Hydrops Senn. Lib. 3. Med. Pract. Part. 6. Sect. 2. Cap. 3. p. 749. Arthritis Hippocrates 6. Epid. Sect. 8. T. 150. Unde idem Senex 6. Aphor. 28. scribit, mulieres non laborare podagrâ, nisi menstrua defecerint. De quo tamè in elaboratissimo de Arthritide Tractatu Quod videatur Senertus supra laudum encomia positus. Verrucæ Salmuth Cent. 2. Observ. Med. 27. Item apoplexia, vertigo, tussis, palpitatio cordis, syncope, anorexia &c. In toto corpore oriuntur febres &c. Quædam toto corpore fiunt hirsutæ; imò, quod memorabile, quibusdam barbam erupisse, & quoad vocem, incessum & actiones alias viris similes factas observatû, ut de Phaëtusa refert Hippocrates 6. Epid. Sect. 8. in fine.

LXI.

An verò sit facilis vel difficilis curatu, colligendû ex symptomatum congerie, temporis duratione, ætate foeminæ &c. Quò enim plura & graviora sunt symptomata, quò diutius menses substituerunt, & quò magis foemina ad senilem ætatem vergit, eò difficilius & tardiùs revocantur. Contra, si pauca eaque mitia adsint symptomata, si malum sit recens, si ægra sit juvencula, facilius & citiùs provocantur. Pro ratione causarum etiam menstrua nunc facilè, nunc difficulter restituantur. Obstructio enim curari potest, & eò quidem faciliùs, quò malum est recentius; densitas ve
rò &

rò & durities uteri difficulter & non nisi longo temporis intervallo.

LXII.

Terminatur ad salutem, si sanguis, qui per vasa uterina excerni nequit, per nares aut aliam evacuetur viam. Hunc terminationis modum proponunt Hippocrates & Galenus. Ille 5. Aph. 33. inquit: *Menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens bonum.* Hic in comment. citati aphorismi ait: *Neque enim quod sola per nares evacuatio deficientibus mēstruis bona sit, dixit (Hippocrates) sed hanc (per nares) simpliciter laudavit, non adjuncto, quod sola.* Si quispiam igitur alteram, quæ fit per sedem, dixerit ita affectis mulieribus utilem esse, hoc non adversatur aphorismo. Cavendum tamen, ne excretio sanguinis fiat per vesicam, sicut observavit Salmuth Cent. 3. Observ. Med. 36. In vesicâ enim facilè grumescit.

LXIII.

Quamvis autem suppressio Mensium interdum diu duret, restitui tamen quandoq; potest, si sit integritas virium, Medicusq;, ægra & adstantes suum fecerint officium. Scribit quidem Hippocrates Lib. 1. de Morb. Mul. num 18. *Menstrua post sex menses non posse redire, & malum esse incurabile.* Adeoq; ultimos carceres menstrui retenti manifestè dicit esse sextam lurationem. Verùm contrarium exemplum apud ipsum Hippocratem 4. Epid. num. 33. legitur de quadam ancillâ, cui iterum fluere cœperunt Menses, qui per septennium fuerant suppressi. Et 5. Epid. num. 11. refert, *Gorgia uxori in Larissâ Menses quatuor annos suppressos rediisse.* Et Jacchinus narrat, se curasse mulierem, quæ per annos quinque nihil purgabatur, & sterilis erat, & tandem, evocatis menstruis, concepit. Vid. Zacutus

E

ius

19 *Lusitanus de Medic. Princip. Hist. Lib. 3. Hist. 1. Qu. 1. Gale-
nus quoq; 6. Epid. Com. 3. T. 29. meminit foeminae, cui Mē-
ses mēribus octo fuerūt suppressi, & postea redierunt.
Testatur ergo experientia, praedictā Hippocratis senten-
tiam non esse perpetuam veritatis. Hinc Rodericus à Ca-
stro Lib. 1. de Morb. Mul. Cap. 4. dicit, quod non debeamus
legere sexto mense insanabilem reddi affectionem, sed
potius difficilem curatu.*

LXIV.

Ad mortem terminatur hic affectus epilepsia, a-
poplexia, syncope, palpitatione cordis, cachexia, hy-
drope, suffocatione. Item gangraena, ut testatur *Gvil.
Fabricius Cent. 2. Observ. 64.* Aut exulceratione pul-
monis, ut perhibet *Salmuth Cent. 2. Observ. Med. 18.* Si
etiam à scirrho vel ab alio tumore in utero vel extra u-
terum consistente, eoq; non curabili, haec vasa compri-
mantur, vel eorum oscula a cicatrice occludantur, ma-
lum est incurabile.

LXV.

Postquam consideravimus genus, subjectum, cau-
sas, differentias, signa diagnostica & prognostica, recto
nunc tramite tendimus ad curationem, quae in remo-
tione causarum consistit. Nihil autem nunc dicemus
de variis uteri affectibus, quorum causa menstrua sup-
primuntur, aliquid tantum de illa suppressione in me-
dium adducemus, quae oritur ex vasorum obstructio-
ne & sanguinis ac humorum crassitie, quoniam fre-
quentissimè occurrit.

LXVI.

Nititur verò curatio suis indicationibus, qua-
rum tres constituuntur: Curatoria, Praeservatoria &
Vitalis. Curatoria respicit morbum, praeservatoria

cau-

causas, vitalis vires. Obstructiones itaq; vasorum, quia peccant angustia, per aperientia reseranda. Sanguis & humores crassi per incidentia attenuandi, fluxiles reddendi, per menses moventia ad uterum deducendi & evacuandi. Si vero sanguis ad alia loca vergat, revellendus. Uterus etiam per medicamenta appropriata corroborandus, & agra bono cibo, bonoq; potu sustentanda.

LXVII.

His omnibus ut satisfiat, haurienda erunt materiae auxiliorum ex tribus fontibus: Chirurgico, Pharmaceutico & Dietetico.

LXVIII.

Chirurgici fontis (sine quo vix hic affectus curari potest) variae sunt scaturigines: Venesectio, Scarificatio, Hirudines, Haemorrhoides, Fonticuli, Frictiones &c.

LXIX.

Venesectio prima fontis Chirurgici scaturigo est salutifera, quando sanguis praeter naturam retentus in corpore cumulatur, quam redundantiam commodissime venam sectam deponimus, unde hanc sectionem non pauca commoda sequuntur, imminentes enim morbos praecavemus & praesentes tollimus. Neglecta vero in suppressione Mensium venesectione, multa proveniunt incommoda, imò ipsa mors, sicut Galenus Lib. de Venesect. adversus Erasistrataeos Cap. 1. refert de quadam foemina retentione menstruorum laborante, quae neglecta phlebotomia ob Erasistrataeorum incuriam difficultate spirandi oborta interiit. Unde venesectio a Practicis ceu sacra anchora commendatur.

LXX.

In ejus autem rectâ administratione quatuor veniunt observanda: 1. Locus, 2. Tempus, 3. Quantitas, 4. Modus.

LXXI.

Quod concernit locum, seu quænam vena sit secanda, non consentiunt autores, sicut testatur *Sennertus Lib. 4. Med. Pract. Part. 2. Sect. 2. Cap. 3. Qu. 2.* Sed nos *Celeberrimi Sennerti, Leucorei nostri Apollinis* sententiam rationi & veritati maximè consentaneam sequimur, dicimusq; in suppressione Mensium etiam cû plethorâ conjunctâ in partibus inferioribus venam saphenam dictam, esse secandam. Cûm autem rarò inveniat, acquiescere possumus in hujus propaginibus circa malleolum internum. Vel secetur vena, quæ in poplite est, sic enim & sanguinè imminuimus, & ad uterum attrahimus. Habemus consentientem *Galenum Medicina Phœnicem*, qui *Lib. de Curand. Rat. per Sangv. Miss. Cap. 11. & 18.* in crure, ait, non in cubito esse phlebotomiam instituendam. Et ipse *Hippocrates 2. Epid. Sect. 4. in fine* *Stymargi* famulæ suppressos menses habenti cum plenitudine in toto corpore nihilominus venam in talo secuit.

LXXII.

Quod attinet tempus venæsectionis, dicimus, si tantum evacuandi sanguinis gratiâ venam secare volumus, statim principiò id fieri debet, præmissis leniente medicamento ad primas vias mûdandas: Si verò revocandorum mensium causâ cupimus venam tundere, commodissimè ea diebus tribus vel quatuor ante consuetum evacuationis tempus, quod ex ægrotante debet Medicus expiscari, secatur. Sic enim naturæ, cui Medicus ubi-

ubiq; opem ferre debet, opem ferimus, & materiam ad motū, quem eo tempore instituere solet ac debet, cōcitam⁹. Sed cū plerumq; hoc tempus ignoremus, adolescentibus circa novilunium, adultioribus verò circa plenilunium educatur.

LXXIII.

Occurrit verò adhuc aliud dubium circa tempus venæsectionis, an nimirum in curatione suppressorum mensium primò medicamentum purgans exhibendum, an verò vena secanda? Sed hīc distingvendum inter recentem & diuturnam suppressionem. In illa præstat mittere sangvinem; in hac verò purgatio imperanda. Vid. *Zacut. Lusit. de Medic. Princ. Hist. Lib. 3. Qu. 7.* ubi hanc controversiam accuratè pertractat.

LXXIV.

Quantitatem sangvinis evacuandi mensurabunt ejus copia, vires, temperamentum, ætas aliæq; circumstantiæ. *Paulus Ægineta* quidem neq; plus duabus libris cū dimidia, neq; minus una libra mittendū censet. vid. *Senn. Lib. 4. Med. Pract. Part. 2. Sect. 2. Cap. 3. p. 148. Et Galen⁹. Epid. Com. 3. T. 29.* emaciata mulieri se extraxisse trib⁹ vicib⁹ tres libras sangvinis, atq; hujus auxilii beneficio eam liberasse a diuturnâ Mensium suppressione scribit. Sed nostræ oræ tales largas venæsectiones non ferunt.

LXXV.

Nunc sequitur Modus. Præstat autem sangvinem educere non unâ vice, sed pluribus. Ita enim & virium conservandarū, & fluxûs ad uterum concitandi habetur ratio. Cū verò venæsectio repetitur, prodest, ut unâ die sangvis ex uno pede, postridie ex altero detrahatur. Pedes etiam prius aquæ calidæ, ut venæ magis pateant,

E 3

& post

& post venæsectionem, ut sanguis citius fluat, immittendi.

LXXVI.

In debilioribus loco venæsectionis uti possumus scarificatione, cui prius frictiones præmittendæ. Possunt etiam cucurbitulæ sine scarificatione applicari primò locis remotioribus seu cruribus, deinde propioribus seu coxis. *Galenus 13. Meth. Med. Cap. 19.* inguini & pubi, cum tempus menstruæ purgationis instat, cucurbitam jubet affigere.

LXXVII.

Hirudines quoque malleolo interno magno cum cōmodo apponuntur. Si enim sanguinem sugant copiosum, venæsectionem ex parte supplere possunt. A nonnullis & hæmorrhoidum apertio ad menses suppressos revocandos commendatur.

LXXVIII.

Fonticuli sub genu etiam faciunt ad restitutionem Mensium. Frictiones quoque ut & ligaturæ dolorificæ partium inferiorum post totius evacuationem, præcipuè eo tempore, quo menses fluere solent, institutæ aliquid adferunt auxilii, quia sanguinem versus inferiora trahunt.

LXXIX.

A fonte Chirurgico accedimus ad fontem Pharmaceuticum, e quo haurienda medicamenta 1. Lenientia & primas vias evacuantia. 2. Humores præparantia. 3. Cacochymia purgantia. Et 4. Menses moventia uterumque confortantia.

LXXX.

Quod attinet medicamenta lenientia, inter ea
com

commodissima hic est *hiera piera Galeni*, quam *simplicem* vocat, *pilul. de tribus*, *pil. angelic. aloë*, *mann. calabr. si-
rup. rosar. sol. &c.* Vel fiat *clyster ex emollientibus, hume-
stantibus, abstergentibus, moderate stimulantibus &c.*

LXXXI.

Præparantium alia *pituitam*, alia *melancholiam* præparant. Quæ *pituitosum* præparant *humorem*, habent vim *calescendi*, *siccandi*, *attenuandi* & *inci-
dendi*, suntque *Radices quinque aperiens majores & mino-
res*, *aristoloch. long. & rotund. valerian. paon. angelic. le-
vistic. cyper. long. & rotund. pimpinell. galang. &c.* *Ligna* *sassafr. gvajac. &c.* *Herba artemis. meliss. matricar. cala-
minth. mont. ver. betonic. puleg. majoran. rorismar. salv. o-
rigan. dictamn. Cretic. verben. serpill. basilic. &c.* *Flores* *anthos, lavendul. betonic. salv. cheir. centaur. min. &c.* *Semina* *quatuor calida majora & minora*, *sesel. levistic. pes-
trofelin. &c.* *Aromata cinamom. caryophyll. acor. ver. &c.* *Melancholicum* *humorem* præparant, *meliss. fu-
mar. scopolendr. ver. borrag. bugloss. viol. glycyr-
rhiz. &c.*

LXXXII.

Chymici etiam varia præparantia nobis exhibent *remedia*, qualia sunt: *Cremor & Crystall. ꝑi. ꝑr. Glas.* (qui propter saporis emendationem offeratur in *hy-
dromelite* juxta *Schröder. Pharmacop. Medic. Chym. Lib. 4. p. 223.*) *Croc. Otis aper. Tinct. ꝑr. Spirit. ejusd. Mixtura* *simpl. seu de trib. Slia artemis. matricar. meliss. Pulv. cacheetic. Quercet. Tragea hysteric. ejusd. Essent. fumar. compos. Dn. D. Michaelis Spir. aper. Penot. &c.* quæ sub variis formulis usurpari possunt. Hoc verò notan-
dum, ante purgantium usum præparantia per aliquot
dies

dies esse assumenda, vel postea repetenda aut purgantibus admiscenda, si obstructio sit pertinacior.

LXXXIII.

Humores præparati evacuandi sunt sensim per *ἐπιχειρήματα* medicamentis purgantibus, & quidem convenientibus. Pro varietate enim cacochymia & ipsa varianda. Tuta etiam & longouso probata exhibenda, a minus tutis autem abstinendum. Ita *Lotich. Consil. & Observ. Med. Lib. 4. Cap. 1. Observ. 4.* refert, quandam ægram suppressione mensium laborantem assumtis c. sirup. violar. duabus vel tribus pilulis ex *Ξιο* vitæ a Chymico quodam Clariss. præparato, gravissimis paulo post eo die convulsionibus correptam fuisse & subitanam obiisse mortem. Unde *Gvil. Fabric. in respons. ad D. Mich. Döringium* scribit, *Ξium vitæ interdum evadere Ξium mortis, rectèque illum Ξium vitæ æternæ appellare possumus.* vid. *Sennert. Instit. Med. Lib. 5. Part. 3. Sect. 3. Cap. 18. p. 1444.* *Temerarium itaque & insignis stultitiæ argumentum est,* inquit *Forestus Lib. 9. Schol. Observat. 2, in ancipiti medicamento periculum facere, cum nulla cogit necessitas, & meliorum copia suppetit.* Inter tuta laudantur *Rad. gialap. mechoac. alb. turbit. agaric. trochisc. Extr. fol. sen. hiera simpl. Gal. Sirup. de cartham. de fumar. compos. Mes. Elect. diaphœnic. Pil. Ξr. Querc. a Sennert. correct. hysteric. Horst. hier. c. agaric. mastich. &c.* quæ in varias formulas, additis corrigentibus & stimulantibus urgente necessitate mutari queunt. Profunt etiam *Pil. fœtid. & de sagapen.* Sed tantum robustis & cum cautione exhibendæ. Hoc verò de purgantibus notandum, ea, cum menstruorum fluxus instat, non esse exhibenda, Hoc enim tempore
exhi-

exhibita fluxum non promovent, sed, ad alias partes
revellendo, impediunt.

LXXXIV.

Interdum possunt vomitoria exhiberi, si multi
crudi humores circa ventriculum collecti sint, qui po-
stea in arterias delati hoc malum augent. Conside-
randa tamen & hinc sunt ea, quæ in eorum exhibitione
observari solent.

LXXXV.

Præparato & evacuato per intervalla & vices hu-
more exhibenda medicamenta appropriata, quæ pro-
pria virtute & peculiari efficaciâ menses movent, vaso-
rum uterinorum oscula aperiunt, simulque peculia-
rem cum utero cognationem habent.

LXXXVI.

Horum nonnulla in *thes. 81. 82.* adduximus, quia
præter vim menses movendi etiam pituitosos præpa-
rant humores. Profunt etiam hinc inter simplicia
Rad. bryon. cyclam. cucum. agrest. Fol. sabin. Bacc.
laur. juniper. Crocus, Gummi ammoniac. galban. sagapen.
opopan. myrrha, succin. &c. Castoreum est efficacissimum,
Colocynthis, quæ Mensium retentio pertinax & diuturna
a *Timao Von Guldenslee* curata *Lib. 4. Cas. Med. 9. Mo-*
Schus, ex cujus solo odore menses suppressos provocavit
fœmina. vid. *Bartholinus Cent. 2. Hist. Anat. 87.*

LXXXVII.

Inter composita maximè commendantur *Trochisc.*
de Myrrh. quos adeo esse efficaces dicunt, ut etiam fœ-
tum trahant. Ex iis commodissimè fiunt pilulæ, nam
propter asæ foetorem aliâ formâ commodè vix sumun-
tur. *Spec. diacalaminth. Decoct. cicer. rubr. Sirup. de ar-*
temis. August. Zuvelf. Pharmacop. Aug. Ref. p. 10. 11. Vin.
matrical. Sennert. Instit. Med. Lib. 5. Part. 3. Sect. 3. Cap. 4.

F

p. 1332.

p. 1332. *Electuar. de limatur. chalyb.* Sennert. Lib. 4. *Med. Pract. Part. 2. Sect. 2. Cap. 3. p. 155.* *Pulv. hysteric.* August. Zuvelf. *Pharmac. Aug. Res. p. 160. part. promovens eorund. alius Helidei Zuvelf. p. 161. Sirup. Zacut. Lib. 3. Prax. Cap. 10. Observ. 1. p. 486. Vin. chalybeat. ejusdem p. 485. Pilul. Montagnan. maximè laudantur, quarum descriptionem reperies apud Riverium Lib. 9. Prax. Med. Cap. 2. p. 277. Menstrua provocans Pulv. Timai von Guldenelee, cujus descriptio habetur apud Timaeum Cas. Med. p. 424. Decoctum ejusd. p. 415. Decoctum roris marini. & flor. arid. leucoii mirum in modum prodesse dicitur, Primerosius de Morb. Mul. Lib. 1. Cap. 2. Conservam fl. lavendula esse secretum in mensibus movendis, quemadmodum & omnia ex lavendulâ facta, dicit Corbeus Gynac. Lib. 1. Cap. 1. Utile est etiam pituitosis corporibus Decoctum gvajaci aut sassafras cum dictam. Cretic. vel alio utero conveniente medicamento, quod comprobat suo calculo Jacchinus, qui mulierem, quæ per quinque annos nihil purgabatur & sterilis erat, ligni Indici decocto curavit, quæ tandem evocatis menstruis concepit. Zacut. de Med. Princ. Lib. 2. Hist. 1. Qu. 1. p. 441.*

LXXXVIII.

Quercetanus sequens Decoctum vocat mirabile experimentum *Pharmac. dogm. rest. Cap. 8. p. 110. R. Milii solis, anisi, visci qverni ã ziiij dictamni Cretici ʒj croci ʒj contundenda contundantur & macerentur per viginti quatuor horas in vino albo generoso, dein parum bulliant, de hoc decocto exhibe ʒiiij.*

LXXXIX.

Et duæ virgines hoc afflictæ malo liberatæ sunt sequenti medicamento, quod *R. Herb. Sabin. Mss bull. vini, & coletur diligenter. Deinde R. Terebinth.*

opt.

opt. Cypr. ℥j lavetur ter decocto supra scripto; deinde se-
mel lavetur aceto scillitico. Postea admisce Pulv. rubia-
zinctor. caryophyll. macis an. ℥j ʒ. amygdal. amar. ℥ss
misc. cum sacchar. ad pyxidem. De hoc medicamine se-
ptem diebus ante tempus mensium sumat quotidie ℥j, & su-
perhauriat haustum cicer. rubr. vid. Craton, Epist. Medic.
95. p. 149.

XC.

Summæ etiam utilitatis esse sequens decoctum
crebrâ comprobavit experientiâ Rodericus a Castro
de Herb. Matricar. capil. ♀ nepet. puleg. à Mj
Rad. apii, asparag. fœnicul. à ℥j coq. in s. q. ▽ ad ℥ij,
cujus decocti ℥iiij add. Sir. de artemis. capill. ♀ à ℥jβ cali-
dum bibat fœmina bis in die. Lib. 1. de Morb. Mul. Cap.
4. vid. plura in Practicorum libris.

XCI.

Sicut verò medicamenta enarrata in hoc malo de-
bellando non parum ferunt auxilii; ita sequentia e
scriniis Hermeticorum desumpta multum juvant æ-
gras. Qualia sunt: Essent. ad Menses Famigeratissimi
Hermetis Dn. D. Joh. Michaëlis, Elixir Uterinum Expe-
rientissimi Dn. D. Mæbii. Tinctura aloëtica Clar. Dn. D.
Timai, Essentia uterina ejusdem. Spirit. ♀r. phil. S. Cloß.
de cujus viribus sic ait Schröder, Pharmac. Med. Chym.
Lib. 4. p. 221. In retentione mensium si dosis (4. vel. 6.
gut.) ter aut quater iteretur, certò fluent menses. Pulv.
& Spirit. secundin. Elixir proprietat. Extract. splen. bovis,
Essentia sabina, croci, castorei &c. Fec. bryon. ▽ hysteric.
Celeberr. Sennert. Lib. 4. Med. Pract. Part. 2. Sect. 3. Cap. 4.
p. 244. ▽ Vit. Mulier. Sennert. ejusd. Lib. Part. 2. Sect. 2. Cap.
3. p. 154. ▽ Stillatit. Zacus. Lib. 3. Prax. Cap. 10. Observ. 1. p.

485. 486. ▽ *Mercati* ex pane efficax etiam est, cujus descriptionem vid. apud *Sennert. Lib. 4. Med. Pract. Part. 2. Sect. 2. Cap. 3. p. 154. Flor. Ar. myrrhat.* hinc secundum *Schönborn. Man. Med. Pract. p. 209.* mulieribus tussientibus & asthmaticis gravidis temerè non offerendi. Simili ratione in varias formas pro lubitu aptari possunt medicamenta huic rei dicata, nos enim temporis rationem habentes, studio formulas prætermittimus.

XCII.

Ad Mensium provocationem etiam faciunt externa medicamenta, inter quæ primum obtinent locum *balnea & fomenta ex emollientibus, laxantibus & Menses moventibus*, quæ coqv. & linteo madido vel spongiâ decocto calido immersâ venter & ingvina foveantur. Vel auctâ dosi potest parari *semicupium*, in quo per horam dimidiam vel integram umbilico tenus sedeat, & herbæ coctæ sacculo inclusæ ventri imponantur. Videndum tamen, ne balneis sudores excitentur, qui menses potius sistunt, quàm movent. Post fotum vel semicupium partes circa uterum convenientibus *unguentis, ut martiato &c. vel oleis, ut o. o. lil. alb. irin. cheir. amygd. amar. &c. vel pingvedin. colubrin. anserin. c. o. o. dest. sabin. &c.* inungatur, vel super pubem applicetur *emplastr. Zacut.* quod *Lib. 3. Prax. Cap. 10. p. 484.* optimum esse dicit. Balneis etiam possunt subornari *pediluvia*, quibus ægra quotidie bis, tempore videlicet matutino & vespertino, uti potest.

XCIII.

Suffitus non admittendi, si adsint humores melancholici, magis enim exsiccantur & indurantur. Si verò obstructa fuerint vasa ab humoribus pituitosis, possunt

possunt institui ex *myrrha, styrac. calamit. benzoe. succin. thure, galban. sabin. bacc. juniper. &c.* imprimis ex *aromatibus*, ut *caryophyll. mac. cinam. &c.* Unde *Hippocrates s. Aph. 28.* *Suffitus aromatum*, inquit, *muliebria educit.* Efficacissimè etiam & citissimè menses movent *scoria ex regul. Æii residua*, si fumus ex iis fiat, quemadmodum *Corbeus Gynac. Lib. 1. Cap. 1. p. 42.* scribit. Et *Timæus von Guldentlee* crebriori suffitu ex *colocynthide* fluxum Mensium feliciter elicuit, sicut testatur *Lib. 4. Cas. Med. 9.*

XCIV.

Si verò obstructio vasorum sit a melancholico humore magis profunt ex *emollientibus, aperientibus & menses moventibus evaporationes* & quidem modicè calentes, quàm suffitus. Evaporationes enim per infundibulum in uterum admissæ humorem siccum humectant, & temperant, partemque emolliunt & laxant.

XCV.

Neque *pesi & clysteres uterini* negligendi, integris enim viribus ad uterum pertingere possunt. Conficiuntur ex *medicamentis menses cientibus*, quibus & *purgantia* interdum adduntur. Cautè tamen usurpanda hæc medicamenta, cum in utero intemperies, inflammationes, exulcerationes excitare possint, unde post usum eorum, quæ intus diu morari non debent, utile erit *Decoct. malv. hord. vel violar.* injicere. *Virginibus* tamen neque pessos, neque clysteres uterinos adhibere convenit.

XCVI.

Dum verò prædicta medicamenta usurpantur,

clysteres alvo frequenter injiciantur, quia maximè
conveniunt ob incumbentem recto intestino uterum,
qui a clysteribus hisce facilè affici potest.

XCVII.

Restat Diæta, quam negligere vel perfectam non
habere calamitatis plena res est. Quamvis autem Di-
æta præcipuè cibo & potu constet, tamen etiam aliæ
res non naturales, ut: Aer, somnus & vigiliæ, motus &
quies, excreta & retenta, atque animi pathemata ad
eam pertinent, docente *Celeberr. Sennerto Instit. Med.*
Lib. 5. Part. 2. Sect. 3. Cap. 2. Pauca verò de fonte Diæte-
tico dicturi sumus, cum non difficilè ex affectûs hu-
jus causis superiùs ex errore in rebus non naturalibus
commisso in medium adductis colligere possim, quid
faciendum vel fugiendum sit.

XCVIII.

Vitandus itaq; aer frigidus, quia constringit, ut
& palustris, nebulosus, crassus, quia obstruit. Con-
tra eligendus purus, & si malum ab humore pituitoso
ortum habeat, calidus & siccus; si verò a melancholi-
co, calidus & humidus.

XCIX.

Cibus sit facilis coctionis & pauci excrementi,
habens vim calefaciendi & attenuandi. Condiatur
Aromatibus, imprimis cinamomo, item cro-
co, Bacc. juniper. Cort. citr. Rad. asparag. pe-
trofelin. fœnicul. Herb. rorismarin. artemis. salv.
&c. Panis sit optimè fermentatus & Sem. anis.
fœnicul. cumin. carui conditus. Assuetis etiam alli-
um & porrum concedatur. A cibis verò crassis, vi-
scidis, fumo induratis, lacticiniis, fructibus horariis
&c. ab-

&c. abstinendum, propter quos facile supprimuntur
menses, sicut de virgine 18. annorum recenset *Timaeus*
don Guldentlee Lib. 4. Cas. medic. 8. Et Cas. 16. ejusd. Lib. ali-
ud idem Autor adducit exemplum.

C.

Potus sit cerevisia benè defecata, vel paretur me-
dicata ex artemis. absinth. lingv. cervin. salv. rorema-
rin &c. cujus usus proficuus. Convenit etiam vinum
Rhenanum, claretum, absinthites, helenites, hyssopi-
tes &c. Utile quoq; est Decoctum cicer. rubr. c. croc.
ut & pistac. Item Decoctum gvajac. aut sassafr. cum
dictamn. Cretic. potus verò aquæ frigida fugiendus,
quia facilè menstrua supprimit. Ita *Cl. Timaeus Lib. 4.*
Cas. Med. 4. refert, villicam fluentibus mensibus, postquã
tempore messis laboribus rusticis incaluerat, aquam
profluentis copiosè hausisse, & in atrocissimos uteri
dolores incidisse, fluxu sanguinis menstrui penitus
suppresso.

CI.

Somnus & vigiliæ fervent mediocritatem, minus
tamen somno, quàm vigiliis indulgendum. Sed &
vigiliæ non sint nimia, cum non parum ad affectûs hu-
jus generationem conferant, sicut historia ex *Alberto*
M. a Zacuto Lusitano Prax. Hist. Lib. 3. Cap. 10. allegata te-
statur.

CII.

Motus & quies non peccent in excessu, neq; in
defectu, præstat tamen sæpe & modicè moveri, quàm
quiescere, unde obambulatio ad profligationem hu-
jus mali aliquid confert.

CIII.

CIII.

Alvus sit aperta; Si verò indurata & obstructa fuerit, clystere, vel alio leniter purgante aperienda & emollienda. Veneris usus, si legitimè fieri potest, uterum grato perfundit calore, & invitat ad opus hactenus neglectum.

CIV.

Affectus animi, ut mæror, timor, terror, &c. vitentur, quia ansam huic malo præbent, sicut in *44.thes. ex Hippocrat. & Mercurial.* exemplis comprobavimus. *Sal-muth* tamen *Cent. 3. Observ. 49.* refert de quadam puerpera, quæ ob fores & fenestras a mulieribus quibusdam ex convivio domum tendentibus per jocum sed nimis impetuosè pulsatas admodum perterrita, toto corpore contremiscente, repente passa est profluvium mensium in annum integrum perdurans, & adeo quidem copiosum, ut per stragula etiam deflueret, & ex eo ipsa tandem moreretur.

CV.

Sufficiat pro ingenii modulo hunc affectum hac vice levi tantum penicillò adumbrasse, plura propter summam temporis angustiam & impedimenta calamitosa non addimus, sed ad Practicorum libros amicam lectorem amicè remittimus.

Quod potui, feci, superis sint cætera
curæ.

Deo misericordie sit laus, honor, gloria & gratiarum actio in secula seculorum.



Clarissimo



Clarissimo atq; Doctissimo
DN. RESPONDENTI MEDICINÆ
CANDIDATO Dignissimo, Amico & Fautori
honoratissimo.

*S*anguinis humani Mystera Conditor ævi
Disposuit facile cunctipotente manu.

*S*anguinis admiranda fuit viventis origo,
Nemo vias ejus rite notare potest.

*I*nnumeri motus sunt sanguinis, atq; meatus,
Supprimitur variis sanguis & ipse modis.

*H*æc Natura docet; qui sedulus arte Galenus
Vix potis est studio tanta notare gravi.

*T*alia nunc CLEOPHAS vigili sudore reve-
lans,

*S*anguinis arcani tempora clausa docet.

*T*alibus ingrederis Medicorum, FAUTOR,
HONORES,

*Q*uos TIBI felici sidere stare precor!

Boni ominis causa scribeb.

Johannes Deutschmann/ D.

G

Ardus

Ardua moliris Cleopha; Sed ad ardua na-
tus,

Ardua dum tentas, ardua consequeris.
Maecte tuo ingenio, Medicâ maecte arte! quid
obstat,

Quin Medicina tuum nomen ad astra
ferat?

*Clarissimo Dno. Candidato summos in arte Medicâ
honores in Præmium indefessi laboris
petenti ὀλοκαρδίως gratul.*

VVerner Theodorus Martini.
J. U. D. & P. P.

HOcest, quod toties optavit patria Terra;
Hoc est, quo mihi quit gratius esse
nihil;

Ad Titulum Medicâ dum vergis in arte su-
premum,

Atq; hinc de Cathedrâ verba diserta facis!
Quid TIBI, CONVICTOR charissime, gra-
tuler? Eja:

**QVOD MERITUS LARGO GERMI-
NE CRESCAT HONOR!**

Suo optimo Amico gratulab. fecit

M. Andreas Müller Pomer.
Eccl. Witteb. Diaconus,


DE Tanto, Cleopha, meritò Tibi Grator
honore,

Quem studia & virtus promeruère diu.
Profit Honos! Votum præsens Tibi profit
Amici!

Det Deus ut felix sit *Tua cura* malis.

*Quod Clarissimo Dn. Medicinæ Candidato Fau-
tori & Amico suo dilecto, ut debet, precatur
ex animo*

M. Johannes Fabricius,
Eccles. V Vitteb. Diaconus.



*Ad Per-Eximium atque Præ-
clarissimum*


DN. CLEOPHAM,
Medicinæ Candidatum di-
gnissimum, Fautorem & Amicum in
paucis omnium dilectissimum at-
que honoratissimum.

*Omnia amicorum si sunt communia gaudens
Letitiâ meritò letor & ipse Tuâ.*

Nam

*Nam mihi fraterno conjunctus amore fuisti
Hactenus, & si quis suavior esse potest.
Hinc ego concessos fausto Tibi grator honores
Omne, prosperius cedat ut iste Tibi.
Fama Machaonium concedat maxima nomen
Illustret Cleophan & Medicina suum.*

Johann Hartvvig.




05 A 1673

ULB Halle

3


003 780 04X



Von







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
De
SUPPRESSIO-
NE MENSIIUM,

Quam
Mediatore Christo Prosperante,
Decreto & Autoritate
Amplissima Facultatis Medicae in Florentissima Leucomoreâ
PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo & Excellentissimo,
DN. MICHAELE SENNERTO,
Med. Doctore Experientissimo, Anatomes & Bo-
tanices Professore Publico Famigeratissimo, Ordinis sui h. t.
DECANO Spectabili,

Domino, Præceptore, Promotore ac Patrono suo magno, omni honoris
& observantiæ cultu æternum suscipiendo,
PRO LICENTIA

Summos in arte Medicâ Honores & Privilegia DO-
CTORALIA solemniter & legitime impetrandi
publicè examinandam proponit

MICHAEL CLEOPHAS,
THORUNIO PRUSSUS.
In Auditorio Majori
d. II. Augusti
Horis pro- & pomeridianis.

WITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken, M. DC. LXIV.

Sten. M. Bode

